HUNGARAE GENTIS AVITUM COGNOMEN, ORIGO GENUINA, SEDESQUE PRISCAE

DUCENTIBUS GRAECIS SCRIPTORIBUS

COAEVIS,

detectae

a

Gregorio Dánkovszky

literarum Graecarum in R. Academia Posoniensi

Professore R. P.

Posonii,

typis Heredum Belnayanorum

1825.

REVERENDISSIMO AC MAGNIFICO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO ORGLER

INSIGNIS COLLEGIATAE ECCLESIAE AD S.

MARTINUM POSONIENSIS CANONICO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,

SACRAE C. REG. APOSTOLICAE MAJESTATIS

CONSILIARIO,

SUPERIORI PER DISTRICTUM LITTERARIUM

POSONIENSEM DIRECTORI

D. D.

devotissimus Auctor.

Primitiis libare juvat primordia gentis.
Tu clavum recipis ducendae Palladi votae
Hunnorum sobolis, stipatus Apollinis arte;
Patrum pristinam ego studeo disquirere stirpem,
Qua terra nati, quo sub coelo prius alti,
Ut plantarent progeniem virtute stupendam.
Emacuit cunctus, quemquem celebrat Dea ramum
Hunnorum, floret fortissimus hoc die ad Istrum.
Quatuor hac lustris patriâ pergaudeo gratus.
Aeternans monumento vicennalia laeta;
Quod Tibi sacrum sit, scrutantem namque animabas.

Ad Lectorem.

Lineas has licet paucissimas in lucem jamjamque mittendas esse putavi, ne Hungari majorum suorum amantissimi dignissimique diutius incerti haereant, qua gente orti, et ubi terrarum olim dominati. Haec enim duo basim totius historiae patriae constituunt, qua posita uberiorem rerum ab hac fortissima gente gestarum messem Deo adjuvante lubens propinaturus sum.

Ceterum monitum esse velim lectorem, scriptores Byzantinos de priscis Hungarae gentis rebus scribentes fide esse dignissimos, et unicos illius aetatis fontes. Hungari enim Romano imperio Orientali erant vicini, saepenumero Romanorum Imperatorum foederati, per legatos mutuos sibi invicem noti, imo in urbe Constantinopolitana per vices commorati.

Denique ut lectores ea, quae hisce foliis continentur, ipsis oculis usurpare valeant, commendo tabulam geographicam sequenti titulo insignitam: Charte der Länder am Caucasus nach den besten vorhandenen Charten, Reisen, und astronomischen Ortsbestimmungen gezeichnet von J. C. M. Reinecke. Weimar,

im Verlage des geographischen Instituts. 1808. Scribebam Posonii Calendis Majis 1824.

Dum hasce pagellas typographo exscribendas traditurus eram, legi in ephemeridibus Posoniensibus Germanicis sub Nro 51. de anno 1824. Serenissimi Caesareo-Regii Archiducis Regni Palatini, qua Protectoris Hungarici Nationalis Musei gratioso cum consensu per inclytam Deputationem instituti Marczibányiani problematibus solvendis praemia exponendo destinati sequentia problemata praemio donanda proponi:

1mo. *Quibus nominibus propriis gens Hungara ab antiquis scriptoribus insignitur, et in quibus auctoribus horum nominum vestigia deprehenduntur; ad quam retro aetatem historia et nomen nationis Turcicae exporrigitur; an sufficiens ratio adest credendi, Hungaros ante Leonem Sapientem Orientis Imperatorem Turcorum nomine non fuisse insignitos?*

2do *In quo et quatenus Hungarae gentis moralis et civilis cultura, dum in Europam immigrasset, a morali et civili cultura reliquae Europae differebat?*

Flagitantibus amicis, ne diutius Hungaros gentis suae amantissimos de majorum origine sedibusque priscis celarem, pagellas has vulgandas esse decrevi.

Quantum ad haec problemata solvenda contulerim, velint Mecaenates illi dijudicare.

Auctor.

Argumentum operis.

I. Avitum Hungarorum cognomen ejusque significatio, et quo tempore illud obsoleverit apud Byzantinos.

II. Hungarorum genuina origo, unde Hungari et Magyari dicti, horumque nominum significatus.

III. Septem stirpium Hungaricarum earumque ducum nomina, horum nominum explicatio et aciei Hungaricae dispositio.

IV. Hungarorum sedes priscae, regio Levedia cum fluvio Chidmâs nomine, et Atelkuzu, quae hactenus incassum quaerebantur, determinatae limitibus circumscribuntur, et conterminarum iis gentium territorium accurate defigitur.

V. Monumenta Hungarica in prisca Hungarorum patria ad hodiernum usque diem exstantia, videlicet montium fluviorumque nomina Hungarica et eorum significatus.

VI. Cl. Georgii Pray, Steph. Katona, Josephi Aloys. Kereszturi, Dris J. A. Fessler aberrationes dilucidantur.

(In gratiam eorum, qui graecae linguae sunt ignari, textus graeci versionem latinam ad calcem operis adjeci.)

1.

Avitum Hungarorum cognomen est *Zavar.* Testatur hoc Constantinus Porphyrogennetus, *a)* scriptor fide dignissimus; nam qua Imperator gentes Romano Imperio conterminas, cumprimis Hungaros Leonis sapientis patris sui aliquamdiu foederatos nosse poterat, et qua pater Romanum filium de gentium origine, sedibus earum antiquis et recentioribus, singularum indole, potentia, fortitudine vicissitudinibusque eo potissimum fine instituturus, ut eum edoceat, quae gens Romano Imperio prodesse aut obesse possit, veritatem dicere volebat et debebat.

a) Const. Porphyr. de administ. J. O. c. 38. *οὐκ ἐλέγοντο δὲ τῷ τότε χρόνῳ Τοῦρκοι* (Constantini aetate Hungari apud Byzantinos scriptores Turcorum nomine veniunt) *ἀλλὰ Σαβαρ, ἤτοι, σφάλλει.*

Nota. In editione Venetica de anno 1729, qua utor, hae tres voces *Σαβαρ, ἤτοι, σφάλλει*, in unam contractae et depravatae exhibentur, videlicet: *Σαβαρτοιασφαλοι.* Imperitus quippe librarius putans nomen gentis non posse indicari per tertiam personam verbi, nominis terminationem his vocabulis indidit, nempe *Σαβαρτοι ασφαλοι*; omissum *η* ex *ἤτοι* per adjectum *α τῷ σφαλοι* resarciens. Ast Constantinus non scripsit *ἀσφαλοι*; nam forma *ασφαλος* non oc-

currit apud ullum auctorem graecum, sed scripsisset ἀσφαλεῖς ab ἀσφαλής; nec scripsit σφαλοὶ; σφαλὸς enim denotat lignum, quo pedes constringuntur, sed scripsit σφάλλει. Hungaricum enim Zavar idem plane significat, quod graecum σφάλλει. Quod vero nomen populi per tertiam verbi personam indicetur, noli mirari; solenne enim erat genti Hunnicae nomina gentilitia, fluviorum, montium etc. per tertiam verbi personam exprimere, prout in ulterioribus videbimus. Quin imo vocis Zavar accuratam notitiam Constantinum habuisse et fideliter eam graece explicuisse vel ex eo nobis patefit. Ceterum graecum β sonum habet Hung. v. Hungaricum igitur Zavar recte Constantinus scripsit Σαβαρ. Particula explicandi ἤτοι, Constantinus saepe utitur e. g. c. 1. ὁμήρους ἤτοι ὄψιδας.

2.

Quid vocabulum Zavar sibi velit, Hungaricae linguae gnaro notum est. Ast Constantinus Imperator Romanum filium vernacula graeca utentem instituturus illud explicat; rectene, an prave, ipsa ejus explicatio nos edocebit.

3.

Hungaricum Zavar dicitur de eo homine, qui aliquid turbat, confundit et concutit; inde etiam zúrzavar turbo, tempestas. Eodem plane sensu Constantinus filio suo vocem hanc Hungaricam graece interpretatur, *b)* ut adeo persvasi esse debeamus, Zavar priscum Hungarorum cognomen genuinum esse, et Constantinum Hungarici idiomatis aut gnarum fuisse, aut hujus vocis *Zavar* interpretationem ab Hungaris ipsis accepisse.

b) Constant. ibid. οὐκ ἐλέγοντο δὲ τῷ τότε χρόνῳ Τοῦρκοι, ἀλλὰ Σαβαρ, ἤτοι σφάλλει ἔκ τινος αἰτίας ἐπωνομάζοντο.

4.

Ait porro Constantinus, Hungaris *Zavar* cognomen *e quadam causa* fuisse. Quae illa causa fuerit, nos edocet Procopius, eos gentem pugnacissimam compellans. *c)* Adeo igitur pugnaces erant Hungari, ut iis hostem aggressis tempestas seu zúrzavar ingruisse putaretur.

c) Procop. de bello Persico I. 15. Οὖννοι οἱ Σάβειροι καλούμενοι, μαχιμώτατον ἔθνος

Animadversio 1.

Inscitiae aut graeci aut Hungarici aut utriusque simul sermonis tribuendum est, quod ad hunc usque diem nullus, qui res Hungarorum priscas laudabili cum studio indagabant, cognomen hoc Hungarorum avitum *Zavar* intellexerit. Eorum princeps Georg. Pray Ann. V. P. III. p. 306. et Diss. V. p. 100., cognomen Hungarorum antiquum e Sabiris et Euthalitis Hunnis a Constantino conflatum fuisse putat, non advertens praeclarus ille vir, vocabulum *Sabartoeasphali* (sic enim depravatum versio latina exhibet) constare ex Hungarico *zavar*, et graeca interpretatione istius *zavar* per ἤτοι σφάλλει. Stephan. Katona hist. crit. Hung. Ducum p. 120. hanc de Hungarorum cognomine prisco quaestionem in medio relinquit. Cl. D. Joseph. Aloys. Kareszturi in Dissertatione de Hungarorum origine et incunabulis hujus adeo ponderosi Hungarorum cognominis nec meminit. Dr. J. A. Fessler. Die Geschichten der Ungern T. I. p. 237. depravatum *Sabartoeasphali* per *szabados feles*, quod liberos homines designat, fortassis explicari posse fingit. Mox tamen p. 238. explicationis suae tenuitatem agnoscens subjungit: Constantinum fortasse scripsisse Σαβαρ τουτέστι, ἄσφαλοι, vimque nominis Σαβαρ per voces e lingua Arabica petitas eruere conatur.

6.

Cognomen hoc. Hungarorum *Zavar* Constantini Porphyr. aetate (imperabat autem Const. ab

anno C. 912 — 959.) apud Byzantinos jam obsoleverat, Constantini enim aetate Byzantini Hungaros Pannoniam tenentes Turcorum nomine insigniebant. *d)* Quapropter Constantinus filium in gentium historia eruditurus eo consilio eum attentum reddit ad cognomen Hungarorum priscum, ut, si in antiquioribus libris res gestas gentis *Zavar* cognominatae legerit, non putet eam ab Hungaris suo tempore Turcis vulgo nuncupatis diversum esse.

Qua de causa etiam animadvertit Constantinus, eos Hungarorum, qui facta separatione gentis in Persidem demigrarunt, nunc quoque *Zavar* cognomen habere. *e*)

d) Τὸ *παλαιὸν* Τοῦρκοι *Σαβαρ, ἤτοι, σφάλλει ἐπωνομάζοντο* Const. Porph. de adm. I. O. c. 38.

e) Idem ibid. *καὶ τὸ μὲν ἕν μέρος (τῶν* Τούρκων*) πρὸς ἀνατολὴν εἰς τὸ τῆς Περσίδος μέρος κατῴκησαν, οἱ καὶ μεχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν τῶν* Τούρκων *ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν καλοῦνται Σαβαρ ἤτοι σφάλλει.*

7.

Eruditi Imperatoris moniti paterni memores in scriptoribus Constantino antiquioribus gentem *Zavar* cognominatam quaeremus, et hac detecta investigabimus, an haec gens *Zavar* cognominata eas olim plagas tenuerit, in quibus Hungaros antiquitus habitasse Constantinus affirmat.

Animadversio II.

Haec duo constituunt lapidem veritatis Lydium, quo ad hunc usque diem nullus rerum Hungaricarum indagator usus est, et non intellecto prisco Hungarorum cognomine nec uti poterat. Et inde factum est, ut de incanabulis Hungarorum disserentes conjecturarum fa-

bularumque farragine lectores ad nauseam usque mactare soleant, nihilque certi aut veri in medium proferant.

8.

Primo igitur inquiremus, quae gens olim pristina ante Constantinum Porphyrog. aetate *Zavar* cognomen habuerit. Principem hac in causa nobis eligimus Procopium Caesariensem, Belisarii imperante Justiniano celeberrimi ducis omnibus in bellis comitem et consiliarium, qui fere 400 ante Constant. Porphyr. annis floruit. Vir hic summae auctoritatis multis in locis loquitur de Hunnis, quibus cognomen *Zavar* est, eosque dicit populum pugnacissimum copiosissimumque circa Caucasios montes habitantem, in multos ducatus rite divisum, quorum principes alii Romanis, Persis alii ab antiquo inde aevo amici et familiares sunt. *f)*

Idem affirmat, ut alios taceam, Agathias scholasticus, qui imperante Justino II. circa a. C. 566 floruit, historiamque Procopii continuavit, ajens: Hunnos Zavaros esse populum maximum, hominibusque frequentissimum, jam Romanis, jam Persis suppetias ferentem. *g)*

f) Procop. de bello Persico I. 15. Οὖννοι τε αὐτοῖς οἱ Σάβειροι καλούμενοι, τρισχίλιοι ξυνῆσαν, μαχιμώτατον ἔθνος. Idem de bello Gotthico IV. 11. οἱ Σάβειροι, ἔθνος μέν ἐστι Οὐννικὸν, ᾤκηνται δὲ ἀμφὶ τὰ Καύκασια ὄρη, πάμπολυ πλῆθος ἐσάγαν ὄντες, ἐς ἀρχὰς δὲ πολλὰς ἐπιεικῶς διῃρημένοι. τούτων δὲ τῶν ἀρχόντων οἱ μέν τινές εἰσι τῷ μὲν Ῥωμαίων αὐτοκράτορι, οἱ δὲ τῶν Περσῶν βασιλεῖ ἐκ παλαιοῦ γνώριμοι.

g) Agathias schol. IV. p. 85. παρῆσαν δὲ τοῖς Πέρσαις, καὶ Οὖννοι Σάβειροι ἐπὶ μισθοφορᾷ προσβοηθήσοντες. τοῦτο γὰρ τὸ ἔθνος μέγιστον τέ ἐστι καὶ πολυάνθρωπον, φιλοπόλεμόν τε ἐς τὰ μάλιστα καὶ ἁρπαλέον. πολλάκις

μὲν γὰρ τοῖς Ῥωμαίοις, πολλάκις δὲ τοῖς Πέρσαις κατ' ἀλλήλων παραταττομένοις ξυνήραντο τοὺς ἀγῶνας.

Nota. Eruditus quisquis nullam vim reponet in eo, quod Constantini Σαβαρ, Procopius et Agathias scribant Σαβειρ; nomen enim hoc librariorum culpa Σαβαρ, Σαβειρ, Σαβιρ et Σαβηρ e. g. apud Theophanem, Menandrum, exscriptum occurrit; nec in unius vocalis diversitate multum ponderis reponendum esse existimo.

9.

Quod felix faustumque sit!

Deteximus populum, cui olim ante Constant. Ponphyr. cognomen *Zavar* fuit, edoctique sumus, cujus originis populus hic fuerit.

Hungaros igitur Hunnicam gentem esse, et quidem ab eo Hunnorum populo, qui, ut pugnacissimus *Zavar* cognomine gaudebat, oriundos, nemo, nisi omnem fidem historicam explodat, amplius negare potest. Nam Constant. Porph. dicit, Hungaros olim non Turcos dictos fuisse, sed *Zavar* cognomen habuisse. *Zavar* igitur non nomen totius gentis, prout ad id tempus e sinistra versione latina credebatur, sed *Zavar* cognomen tantum populi est, quem uno ore Byzantini omnes Hunnicum esse affirmant.

Quin imo in ipso nomine *Hungar* gentis et populi typus antiquissimus est conservatus. Cum enim antiquissimo aevo Hungari vocati sunt *Hunn zavar*, ut testimoniis superius adlatis demonstratum est, lapsu tot saeculorum accidit, ut in ore hominum vocales absorbere amantium ex *Hunn zavar* manserit *Hunn zvar*, et inde tandem emollitum Hungar. Cujus mutationis vestigium apud Anonymum Belae regis notarium videre licet, scribit enim *Hungvar*. Habemus igitur in nomine *Hun-*

gar et gentis, nempe *Hunn*, et populi, *zavar* scilicet, typum. *Hunn* quippe nobis monstrat Hungaros esse origine Hunnos, et *gar* ortum ex *zavar* nobis ostendit, Hungaros ab illo Hunnorum populo originem ducere, qui Zavar cognomine gloriabatur.

10.

Res autem sic se habet. Gens, quae totum fere tractum ultra Caucasum montem inter Caspium et nigrum maria usque ad Maeotim paludem et Tanaïm fluvium tenebat, communi Hunnorum nomine veniebat. *h)*

h) Procop. de bello Pers. I, 10. οὗ (ultra Caucasum) δὴ τὰ Οὔννων ἔθνη σχεδόν τι ἅπαντα ἵδρυται ἄχρι ἐς τὴν Μαιῶτιν διήκοντα λίμνην.

11.

Gens haec Hunnorum nomine comprehensa in plures populos erat divisa, quorum singuli proprio sibi cognomine gaudebant. Sic Hunni, qui in ora orientali Maeotidis paludis sedebant, Cutrigurorum et Utrigurorum cognomen a suis ducibus Kutrigur et Utrigur acceperant, testante Procopio de bello Gotthico IV. 5. alii Ultizuri, Burugundi alii denominabantur; alii denique aliter, prout nempe cognomen iis patrium fuit, vel per usum et consuetudinem invaluit. Id quod e testimonio Agathiae discimus. *i)*

i) Agathias V. p. 107. οἱ Οὖννοι τὸ γένος, τὸ μὲν παλαιὸν κατῴκουν τῆς Μαιώτιδος λίμνης τὰ πρὸς ἀπηλιώτην ἄνεμον, καὶ ἦσαν τοῦ Ταναΐδος ποταμοῦ ἀρκτικώτεροι, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα βάρβαρα ἔθνη, ὁπόσα ἐντὸς Ιμαίου ὄρους ἀνὰ τὴν Ασίαν ἐτύγχανον ἱδρυμένα, οὗτοι δὲ ἅπαντες κοινῇ μὲν Σκύθαι καὶ Οὖννοι ἐπωνομάζοντο· ἰδίᾳ δὲ

κατά γένη, τὸ μὲν τι αὐτῶν Κοτρίγοροι, τὸ δὲ Οὐτίγοροι, ἄλλοι δὲ Οὐλτίζουροι, καὶ ἄλλοι Βουρουγουνδοι· καὶ ἄλλοι ὡς ἂν αὐτοῖς πάτριόν τε ἦν καὶ εἰθισμένον.

12.

Populi hi iterum subdivisi erant juxta stirpes, quarum singulae suum ducem habebant. Procopio et Agathia testibus, ut superius vidimus, *Hunn zavar* populus copiosissimus fuit, et in multas stirpes divisus, quarum duces alii Romanis, alii Persis favebant. Ex his multis stirpibus populi *Hunn Zavar* (Hungari) Const. Porphyr. testante, septem in occidentalem, reliquae in orientalem Persiae plagam transmigrarunt, id quod inferius §. 47. demonstrabimus. Quaevis porro stirps habuit sibi proprium nomen, et ducem proprio quoque sibi nomine insignitum.

13.

Gratias referimus Constantino Imperatori, quod nobis harum septem stirpium, a quibus Hungari hodierni descendunt, momina conservaverit, eaque, quantum Hungarica nomina graecis literis exprimere licet, longe accuratissime designavit, adeo ut eum rerum Hungaricarum peritissimum fuisse solide persvadeamur. Sic autem habet Constant. Porphyrog. Orta, ait, inter Chazaros seditione populari tres stirpes Cabarorum clade. attritae sub uno duce inter se consociatae profugerunt ad Hungaros (Hunn Zavar seu Constantini aetate Turcos dictos) et amicitia cum iis inita inter septem Hungarorum stirpes primam constituebant. quod ad velitationes cum hoste inchoandas adhiberentur. Hanc primam Cabarorum stirpem Hungarorum septem stirpes

hoc ordine excipiunt, videlicet II stirps *Neki* id est, latine: Impete, germanice Los darauf, probabiliter ideo sic dicta, quod velitante prima stirpe, ad hostem adgrediendum erat destinata. Vocem Hungaricam *neki* bene Constantinus scribit νέκη. III. Stirps Mej-erő, id est, pectoris robur, sic dicta, quod mediam aciem constituebat. Hungaricas voces *Mej-erő* Constantinus recte graecis literis expressit Μεγέρη; seu Megere γ enim ante ε ut j pronunciatur, et sonum Hungarici ő per η optime indicare conatus est. IV stirps *kürtől jármat*, id est, ad castra movenda signum dat. Constantinus scripsit kurty jermat, et bene; nam loco kürtől plebs dicit kürtő omissa litera l; jermat autem scripsit pro jármat, ut sonum literae j indicaret; γ enim ante a ut g enunciatur. Ceterum járom venit ab járni, et abitum quoque designat. V. stirps Tárgyan, id est, ad mêtam, excubiis enim exterioribus agendis erat destinata. Constantini quippe pater Leo imperator in libro de tactica de Hungaris scribit: eos excubias procul a castris alias atque alias collocare, ut non facile subitis impressionibus possint opprimi. Constantinus scribit Ταρίαν seu Tarian, aliter enim sonum τοῦ gy graecis literis non potuit designare. VI. stirps *jó nyak* sic nominata, quod durae cervicis et pertinax in pugnando fuerit. *Jó nyak* Constantinus scribit Γενεχ seu Jenach, pro jó scripsit je, ut sonum literae j exprimeret, γ enim ante a ut g sonat, et pro sono ny Graecus non habet literas. VII. stirps *kari* i. e. brachialis VIII. *kézi* i. e, manualis. Constantinus scripsit κασή seu Kasé. *k)*

E quibus perspicere licet totius aciei Hungaricae dispositionem. Stirps III. *Mej-erő* cen-

trum aciei, VII. kari, sinistram alam. VIII. kézi, dextram alam constituebat. I. *Cubarorum* stirps velitationibus II. *Néki*, adgressionibus IV. *kürtöl jármat*, castris movendis VI. *jó nyak*, pertinaciâ pugnandi cladi consumandae, V. Tárgyan excubiis exterioribus (Vorposten) agendis erat destinata.

k) Constantinus Porphyr. c. 39 et 40. *πρώτη ἡ παρὰ τῶν Χαζάρων ἀποσπασθεῖσα αὕτη ἡ προῤῥηθεῖσα τῶν Καβάρων γενεὰ, δευτέρα τοῦ Νέκη, τρίτη τοῦ Μεγέρη, τετάρτη τοῦ Κουρτυγερμάτου, πέμπτη τοῦ Ταριάνου, ἕκτη Γέναχ, ἑβδόμη Καρή, ὀγδοὴ Κασή.*

14.

Obsoletis subinde reliquarum septem stirpium nominibus solius stirpis *Mej-erö* nomen adoptatum est, quo sese Hungari hodieque, videlicet Magyari compellant. Ita quoque in Gallia Francorum nomen praevaluit. Qua vero occasione nomen Magyar praevaluerit, opportuno loco dicturus sum.

15.

Anonymus Belae regis notarius c. 1. p. 4 quoque scribit, gentem Hungaram vocatam fuisse *Moger* (i. e. Mojer, hodie Magyar) illudque nomen accepisse a Magog rege Japheti filio. Nihil refert, a quo nomen hoc acceperit, sufficit nobis scire, Magyarorum nomen a stirpe *Mej-erö* promanasse. Item cap. 5. scribit: „Gens itaque Hungarorum fortissima de gente Scythica, quae per idioma proprium *Dentu moger* (hodie scribitur: döntö Magyar) dicitur, duxit originem.“

De geute Scythica, id est, Hunnica; nam Hunni sensu latiori Scythae quoque vocabantur;

et quidem de ea gente Scythica seu Hunnica, quae Moger, et ob fortitudinem suam, *Döntő*, id est, *prosternens*, vocabatur. Stirps ergo Constantini *Mej-erö*, et Anonymi Moger seu Mojer eadem est, unde tot saeculorum lapsu Magyar enatum est, et cum centrum aciei constituebat, recte döntő, i. e. prosternens dicebatur, perrupto enim aciei centro sternitur acies tota.

16.

Hodierni igitur Pannoniae incolae vocantur Hungari a populo *Hunn Zavar*, quo nomine Germani, Russi, aliaeque nationes eos appellant; a stirpe vero *Mejerő* ipsi Magyaros sese compellant.

Animadversio III.

Cl. Kereszturi Dissert. de Hungarorum origine p. 12. putat Hungarorum nomen primum post hodiernas in terras adventum genti inditum, serius Orientalibus innotuisse. Ast testes hactenus auditi contrarium edicunt; gentis enim *Hunn Zavar*, i. e. Hungarorum nomen Byzantinis et Persis adeoque Orientalibus multis saeculis prius notum fuit, quam Occidentalibus vel innotescere potuerit.

Nota. E septem ducibus tres duntaxat nominatim nobis conservavit Constant. Porphyr., reliqua anonymo Belae regis notario in acceptis referimus.

Primum ducem Constantinus commemorat *Leved* nomine, cui Anonymi *Eleud* respondet. Est autem *Leved* pro graecis Hungaricas literas ponendo Elő-véd, i. e. primus defendit; quae denominatio duci proelium inchoanti apprime convenit. *Eleud* Anonymi, qui pro v ponere solet u, sicut in illo *Hunguar* pro *Hungvar*, idem Elő-véd esse quis dubitat?

Secundum ducem Constant. commemorat *Almutz* nomine, qui apud Anonymum *Almus* audit. Almutz Constantini est hungaricum Alamuszta, id est, subdolus.

Alamuszta filium Arpad nomine Constantino et Anonymo testantibus habuit. Arpad vero contractum nomen videtur esse, ex *arany pad*, i. e. aureum sedile seu aureus thronus; a virtutibus egregiis sic dictus fuerit.

Elö-véd videtur praefuisse stirpi *Neki* nomine, quam post Cabarorum stirpem Hungaris adsociatam primam ponit Constantinus, et quae adgressionibus inchoandis vacabat, ideo dux ejus Elö-véd seu primus defensor appellatus, stirps vero ei parens Neki seu *adgredere*, *impete*, nuncupata. *Alamuszta* videtur praefectus fuisse Stirpi *Mej-erö* (*Magyar*). Hanc enim post stirpem *Neki* posuit Constantinus, et cum Chazariae Chaganus Elövédo consilium dederat, ut assensu Hungarorum expetito cunctarum septem stirpium archontem, i. e. imperantem se constitueret, respondit *Elövéd*, potiorem se esse *Alamusztam*, qui filium Arpad nomine habet. Hungari Alamuszta posthabito elegerunt Arpadem, utpote prudentia, consilio et fortitudine excellentem, Constant. Porphyr. de adm. J. O. c. 38.

A stirpe *Mej-erö*, cujus dux factus est imperans omnium septem stirpium, nomen Magyar ad reliquas stirpes subinde transiverat.

Reliquorum ducum nomina juxta Belae regis notarium sunt;

Cundu, hodie scribitur, kondó i. e. sonorus, a sonora voce probabiliter sic dictus; *kondó* enim olim dicebatur pro *kongó*; inde hodiernum konditója jó vagyon i. e. sonora voce est praeditus. Fortassis vestigia hujus nominis in praenobili familia Hungarica *konde* hodieque supersunt.

*Ound*u, hodie scribitur; *Ó ondó* i. e. antiqua palea; fortassis sic vocatus, quod patre sene sit procreatus. Sic dicitur ondója a' kölesnek.

Tosu hodie, Toszó i. e trudens, a fervido ingenio nomen acceperit.

Huba, nunc, *Hóba* i. e. in nive; fortassis quod hyberno tempore in nivibus sit in lucem editus.

Tuhutum, nunc, *tó-hattyú* i. e. palustris cygnus, ob aliquam similitudinem cum cygno.

Ceterum vocales u et o in lingua Hungarica magnam affinitatem habere vel ex affixis túl et tól, búl et ból etc. intelligere licet.

Velint philologi Hungari accommodatius haec nomina enucleare, iis gratias quam maximas habebimus.

17.

Hunn Zavar seu Hungari longo ante Procopium tempore, adeoque ante saeculum VI in plagis Romano et Persico imperio vicinis habitabant; Procopius enim dicit duces Hunn zavarorum antiquo inde ab aevo Romanorum imperatoribus et Persarum regibus esse notos. Procop. de bello Gotthico IV. 11.

Sed jam investigemus, quaenam illae plagae sint, quas Hungari antiquitus tenebant.

18.

Constant. Porphyr. dicit, Hungaros *prope Chazaríam* antiquitus habitasse. *l)* Chazarorum vero limes ad occasum erat *Tanaïs* fluvius, in mare Asovicum se exonerans; ad quem castrum nomine *Sarkel*, quod latine album hospitium denotat, bodiernoque Bielgorod respondet, a Theophilo ab anno 829 — 842 Constantinopoli imperante Chazari sibi exstruendum curarunt, in eoque Const. Porphyr. aetate praesidiarios singulis annis permutari solitos habebant. Nam terrae tractum, quem Danastris, Bogus, Ingulus, et Danapris alluunt, inde ab inferioribus Danubii aquis ex opposito Distrae (hodie Silistriae urbis) usque ad Sarkel Chazarorum castrum Patzinacitae Constantini Porphyr, aetate tenebant *m)* habentes conterminos ad meridiem per Danubium a se divisos Bul-

garos, *n)* porro in ditione Chersonis urbis (hodie Schurschi) in occidentali ora hodiernae Crimeae sitae Romanos; *o)* ad septemtrionem vero Slavos et Russos, qui a Novogorod, Mohilew, Tschernigow castellis per Kioviam, dein per ditiones Patzinacitarum cum magnis molestiis, tandem superato Danubii ostio penes Bulgaros lintribus Danapris fluvii et maris nigri beneficio Constantinopolim venire solebant. *p)*

l) Const. Porphyr. de adm. J. O. c. 38. τὸ τῶν Τούρκων ἔθνος πλησίον τῆς Χαζαρίας τὸ παλαιὸν τὴν κατοίκησιν ἐποιεῖτο.

m) Id. ibid. c. 42. ἀπὸ δὲ κάτωθεν τῶν μερῶν Δανούβεως ποταμοῦ τῆς Δίστρας ἀντιπέρα ἡ Πατζινακία παρέρχεται, καὶ κατακρατεῖ ἡ κατοικία αὐτῶν μέχρι τοῦ Σάρκελ τοῦ τῶν Χαζάρων κάστρου, ἐν ᾧ ταξεῶται καθέζονται τὰ κατὰ χρόνον ἐναλλασσομενοι. ἑρμηνεύεται δὲ παρὰ αὐτοῖς τὸ Σαρκελ Ασπρον Οσπιτιον· ὅπερ ἐκτίθη παρὰ Σπαθαροκανδιδάτου Πετρωνᾶ, τὸν βασιλέα Θεόφιλον πρὸς τὸ κτισθῆναι αὐτοῖς τό κάστρον τοῦτο τῶν Χαζάρων αἰτησαμένων. ἀπὸ δὲ τοῦ Δανούβεως ποταμοῦ μέχρι τοῦ προῤῥηθέντος κάστρου τοῦ Σάρκελ ὁδὸς ἐστι ἡμέρων ἕξ, μέσον δὲ τῆς τοιαύτης γῆς ποταμοὶ μὲν εἰσι πολλοὶ· δύο δὲ μέγιστοι ἐξ αὐτῶν, ὅ τε Δάναστρις καὶ ὁ Δάναπρις, εἰσὶ δὲ ἕτεροι ποταμοὶ ὅ τε λεγέμενος Συγγοὺλ καὶ ὁ Βογοῦ.

n) Id. ibid. c. 8. ὅτι καὶ εἰς τὸ μέρος τῆς Βουλγαρίας καθέζεται λαὸς τῶν Πατζινακιτῶν.

o) Id. ibid. c. 6 ὅτι καὶ ἕτερος λαὸς τῶν τοιούτων Πατζινακιτῶν τῷ μέρει τῆς Χερσῶνος παράκεινται, οἵτινες καὶ πραγματεύονται μετὰ τῶν Χερσωνιτῶν.

p) ὅτι τὰ ἀπὸ τῆς ἔξω Ρωσίας μονόξυλα κατερχόμενα ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἰσὶ μὲν ἀπὸ τοῦ Νεμογαρδὰς (Novogorod) εἰσὶ δὲ καὶ ἀπὸ τὸ κάστρον Μιλινίσκον (Mohilew) καὶ ἀπὸ Τζερνιγώγαν (Tschernigow) ταῦτα οὖν ἅπαντα διὰ τοῦ ποταμοῦ κατέρχονται Δανάπρεως, καὶ επισυνάγονται ἐπὶ τὸ κάστρον τὸ Κιόβα (Kiovia) καὶ ἕως οὗ διέλθωσι τὸν Σελινὰν ποταμὸν παρατρέχουσιν αὐτοῖς οἱ Πατζινακίται. — ἀπὸ δὲ τὸν Σελινὰν οὐ φοβοῦντ

τινά, ἀλλὰ τὴν τῆς Βουλγαρίας γῆν ἐνδυσάμενοι, εἰς τὸ Δανουβίου στόμιον ἔρχονται etc.

19.

Ad ortum habebant Chazari Uzos, qui inter Volgam et Jaikum fluvios (Jaik hodie etiam Ural vocatur) adeoque in hodierno deserto Uralico, montibus, sylvis penitus destituto, penes littora duntaxat culturae capace, et nomadibus solum pervio, degebant. Nam Constant. Porph. teste *q)* Patzinacitae ab initio inter Volgam et Jaikum morabantur habentes Chazaros sibi conterminos et Uzos; ante annos vero quinquaginta, dum Constant. hoc scribebat, Uzi cum Chazaris conspiratione facta, et bello contra Patzinacitas simul suscepto, superiores facti, hos e propria iis terra expulerant, eamque usque Const. Porphyr. aetatem tenuerant. Patzinacitae profugi circumibant quaerentes locum, in quo tentoria sua defigerent, donec terram invenissent, quam aetate Constantini tenebant, et quae ab inferioribus Danubii aquis ex opposito Distrae (hodie Silistriae) usque ad Sarkel Chazarorum castrum juxta Tanaïn situm, ut supra demonstravimus, protendebatur. Chazari igitur sedes suas ad Constantini tempora usque non mutaverant, saltim Patzinacitae, qui olim inter Volgam et Jaikum cum Uzis habitabant. ab Uzis cum Chazaris unitis victi et patria extorres ad plagas inter Tanaïm et Danubium sitas transiverunt, Uzi vero Patzinacitis sibi vicinis pulsis et territorio suo dilatato inter Volgam et Jaikum manserunt, ab iisque hodierni fluvii *Usen* nomine inter Volgam et Jaikum a borea austrum versus ruentes denominationem retinuerit. Quapropter dicit Constant. Chazaros

posse ab Uzis utpote sibi conterminis infestari. r)

q) Constant. Porph. ibid. c. 37. ἰστέον ὅτι οἱ Πατζινακῖται τὸ ἀπ' ἀρχῆς εἰς τὸν ποταμὸν Ἀτὴλ τὴν αὐτῶν εἶχον κατοίκησιν· ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὸν ποταμὸν Γεὴχ, ἔχοντες τούς τε Χαζάρους (sequor hanc lectionem pro Μαζάρους; nam Hungari, quos nonnulli in Μαζάρους ob nomen Magyar latere putant, tempore hoc jam inter Tanaïm et Danubium sedebant, unde eos Patzinacitae profugi expulerunt, ut Constant. eodem capite testatur) συνορεύοντας, καὶ τοὺς ἐπονομαζομένους Οὖζ, πρὸ ἐτῶν δὲ πεντήκοντα οἱ λεγόμενοι Οὖζ μετὰ τῶν Χαζάρων ὁμονοήσαντες, καὶ πόλεμον συμβάλοντες πρὸς τοὺς Πατζινακίτας, ὑπερίσχυσαν, καὶ ἀπὸ τῆς ἰδίας χώρας αὐτοὺς ἐξεδίωξαν, καὶ κατέσχον αὐτὴν μέχρι τῆς σήμερον οἱ λεγόμενοι Οὖζοι. οἱ δὲ Πατζινακῖται φυγόντες περιήρχοντο ἀναψηλαφῶντες τόπον εἰς τὴν αὐτῶν κατοίκησιν· καταλαβόντες δὲ τὴν σήμερον παρ' αὐτῶν κρατουμένην γῆν, καὶ εὑρόντες τοὺς Τούρκους οἰκοῦντας ἐν αὐτῇ, πολέμου τρόπῳ τούτους νικήσαντες καὶ ἐκβαλόντες ἐξεδίωξαν αὐτοὺς, καὶ κατεσκήνωσαν ἐν αὐτῇ, καὶ δεσπόζουσι τῆς τοιαύτης χώρας, ὡς εἴρηται, μέχρι τῆς σήμερον ἔτη πεντήκοντα πέντε.

Nota. Constantini Ατὴλ esse Volgam fluvium probamus e Menandro scriptore Byzantino, qui Mauritio imperante circa a. Chr. 594. floruit. Is describens iter legati Romani reducis e plaga orientali Caspii maris dicit in excerptis de legationibus p. 73. ἐγένοντο κατὰ τὸν Γαΐχ (Constantini Γεὴχ Jaik fluvius) καὶ διὰ λιμνῶν ἑτέρων αὖθις ἐς τὸν Ἀττίλαν. (Constantini Ἀτὴλ) πάλιν ὡς Οὐγούρους. οἱ δὴ καὶ σφίσιν ἀπήγγειλαν, ὡς εἰς τὰ περὶ τὸν Κωφῆνα (Cubanum hodiernum) ποταμὸν ἐς τὰ λάσια τέσσαρες χιλιάδες Περσῶν ἐπιτηροῦσι προλελοχισμένοι etc. Venit igitur legatus Romanus redux e plagis Caspii maris orientalibus ad Jaïkum fluvium, inde per plures paludes ad fluvium Attilam i. e. Volgam. Inter Jaïkum et Volgam permultae sunt paludes, inter quas maxima Jelton nomine ambitum 3 milliarium habet. Vide Dr. G. Hassel. Das russische Asien. p. 428.

A Volga venerunt ad Cophenem fluvium, seu hodiernum Cubanum in monte Caucasio ortum et in mare nigrum se exonerantem.

r) Constant. ibid. c. 10. *ὅτι οἱ Οὐζοὶ δύνανται πολεμεῖν τοὺς Χαζάρους ὡς αὐτοῖς πλησιάζοντες.*

20.

Ad septemtrionem habebant Chazari Russos, qui a Danapri fluvio in Bulgariam, Chazariam et Syriam veniebant, et Mordvinos seu Morduanos, qui hodieque in Russiae provincia *Pensa* sylvas inhabitant et maximam partem idololatrae sunt. *s)*

s) Const. ibid. c. 42. *πρὸς τὸ ἀρκτῷον (τῆς Μαιώτιδος λίμνης) μέρος ὁ Δάναπρις ποταμὸς, ἐξ οὗ καὶ οἱ Ρῶς διέρχονται πρός τε μαύρην Βούλγαρίαν καὶ Χαζαρίαν καὶ Συρίαν.* et c. 37. *ἀπῴκισται δὲ ἡ Πατζινακία ἀπὸ Μορδίας ὁδὸν ἡμέρων δέκα.*

21.

Cum igitur nec ad ortum, nec occasum, nec boream Chazariae deprehendimus Hungaros unquam habitantes, ad austrum Chazariae degere debebant; nam Constantino Porphyr. teste Hungari *prope Chazariam* olim commorabantur. Quapropter in campis a maribus nigro et Caspio conclusis, et per Caucasum montem munitis priscae Hungarorum sedes sunt quaerendae, et regio Levedia et Chidmâs eam irrigans fluvius ibidem esse debent. Constant. enim Porphyr. ait: Hungaros antiquitus habitasse *prope Chazaros* in regione *Levedia* cognominata, quam *Chidmâs*, qui et *Chingylus* cognominatur interfluit. *t)*

t) Const. ibid. c. 38. *ὅτι τὸ τῶν Τούρκων ἔθνος πλησίον τῆς Χαζαρίας τὸ παλαιὸν τὴν κατοίκησιν ἐποιεῖτο εἰς τὸν τόπον τὸν ἐπονομαζόμενον Λεβεδια. ἐν τούτῳ οὖν τῷ τόπῳ*

τῷ τόπῳ τῷ προῤῥηθέντι Λεβεδίᾳ ποταμὸς ἐστὶ ῥέων Χιδμᾶς, ὁ καὶ Χιγγυλοῦς ἐπονομαζόμενος.

22.

Constantini Porphyr. aetate oram maris nigri orientalem, quae a Bosporo Cimmerio, hodie Strasse von Zabache dicto, meridiem versus protenditur, Zichi tenebant; post hos austrum versus Abasgi ad ripam maris habitabant. Hic terrae tractus juxta Constantinum est 600 milliaria longus, quorum 300 Zichi, 300 Abasgi tenebant. *u*) Et cum 80 milliaria Constantini 15 milliaria geographica circiter efficiant (dicit enim Constant. c. 42. Danastrim a Danapri 80 milliaribus distare) regio haec Zichorum et Abasgorum ultra 45 milliaria geographica extendebatur; et omnino rem ita se habere mox e Procopio intelligemus et tabulam geographicam considerando convincemur, quippe a 55° usque 58 longitudinis haec plaga protenditur.

u) Constant. ibid. c. 42. *ἀντικρὺ δὲ τοῦ Βοσπόρου* (urbis in orientali ora Crimeae, hodic Kersch dictae) *τὸ Ταμάταρχα* (hodie Tmutarakan) *λεγόμενον κάστρον ἐστί. ἀπὸ τὸ Ταμάταρχα ἐστὶ ποταμὸς ἀπὸ μιλίων ιή. ἢ καὶ κ΄; λεγόμενος Οὐκρούχ, ὁ διαχωρίζων τὴν Ζιχίαν καὶ τὸ Ταμάταρχα· ἀπὸ δὲ τοῦ Οὐκροὺχ μέχρι τοῦ Νικόψεως ποταμοῦ ἐστὶν ἡ χώρα τῆς Ζιχίας. τὸ δὲ διάστημα ἐστὶ μίλια τ΄. τὸ δὲ παραθαλάσσιον ἀπὸ τῆς συμπληρώσεως τῆς Ζιχίας, ἤτοι Νικόψεως ποταμοῦ, ἐστι ἡ τῆς Αβασγίας χώρα μέχρι τοῦ κάστρου Σωτηριουπόλεως· εἰσὶ δὲ μίλια τ΄.*

23.

Procopii aetate utraque haec gens easdem plagas tenebat, et quidem Abasgorum ditio incipiebat a promontorio e Caucaso in mare nigrum

sub 43° 15′ lat protuberanti, ad cujus promontorii perangustum aditum nec binis viris simul euntibus pervium Abasgi ab antiquo aevo habebant castellum, et protendebatur juxta mare nigrum usque ad Caucasios montes. *v)*

v) Procop. de bello Gotthico IV. 9. *ἔστι δέ χῶρος μετὰ τοὺς Ἀψιλίους* (Apsilii juxta Procopium ad septemtrionem Lazorum seu Colchorum, quorum ditionem Phasis fluvius interfluit, habitabant) *ὄρους ἐν τῇ ἐς τὴν Ἀβασγίαν ἐσόδῳ τοιόςδε· ὄρος ὑψηλὸν ἐκ τῶν Καυκασίων ἀρχόμενον, καὶ κατὰ βραχὺ ἐλασσούμενόντε καὶ ὑπολῆγον ὥσπερ τις κλίμαξ κατατείνει καὶ τελευτᾷ εἰς τὸν Εὔξεινον Πόντον. καὶ φρούριον μὲν ἐχυρώτατον καὶ μεγέθους πέρι ἀξιολογώτατον ἐκ παλαιοῦ οἱ Ἀβασγοὶ ἐν τῇ ὑπωρείᾳ τοῦ ὄρους τούτου ἐδείμαντο. μία δὲ εἴσοδός ἐστιν εἰσάγουσα ἔς τε τὸ φρούριον τοῦτο καὶ ἐς τὴν ἄλλην Ἀβασγῶν χώραν, ἥπερ ἀνδράσι ξυνδύο ἐρχομένοις ἀπόρευτος τυγχάνει οὖσα.*

24.

Hanc plagam hodieque Abassi Procopii et Constantini Porphyr. Abasgorum nepotes tenent et 8000 familiarum efficere putantur; non quidem nomades sunt, attamen rei pecuariae potissimum vacant. Pace anno 1812 Russicum quidem imperium jura in Abassiam, quibus Turcae antea gaudebant, consecutum est; internis tamen hujus gentis negotiis se non immiscet, solo praesidio castella ad mare tutante contentum. Dr. Hassel. Das russische Asien p. 693—695. Procopii Abasgi ab antiquo quidem aevo Lazis parebant (Lazi oram maris nigri ad utramque partem Phasis fluvii inhabitabant, Christiani et Romano imperio jure clientelari juncti erant) principes tamen Abasgi e sua gente semper duos habebant, quorum alter in plagis occasum, alter ortum versus se-

dem habebat. Barbari hi ad Procopii aetatem usque lucos et sylvas adorabant Deos esse arbores putantes. Justinianus iis ad Christi fidem traductis Deiparae templum in Abasgia condidit. Procop. de bello Gotthico IV. 3.

25.

Zichi quoque aetate Procopii oram maris nigri tenentes post Abasgos habitabant, sed nondum, prout imperante Constantino Porphyrog. limites suos ad Bosporum fere Cimmerium protulerant; post Abasgos enim Procopii aetate Sagidae degebant, Romanis eorum ditionis partem ad mare sitam tenentibus, ubi Justinianus Imperator castellum Sebastopolim nomine dirutum restauraverat. Olim enim Romani omnia loca ad ripam maris nigri sita inde a Trapezunte usque ad Sagidas in praesidiis tenebant. *x)*

x) Procop. de bello Gotthico IV. 4. μετὰ δὲ τοὺς Ἀβασγιῶν ὅρους — κατὰ τὴν παραλίαν Πόντου τοῦ Εὐξείνου Ζῆκχοι ἵδρυνται. τοῖς δὲ Ζήκχοις μὲν τὸ παλαιὸν ὁ Ῥωμαίων αὐτοκράτωρ βασιλέα καθίστη, τὸ δὲ νῦν οὐδ' ὁτιοῦν Ῥωμαίοις ἐπακούουσιν οἱ βάρβαροι οὗτοι. μετὰ δὲ αὐτοὺς Σαγίδαι μὲν οἰκοῦσι, μοῖραν δὲ αὐτῶν τῆς παραλίας Ῥωμαῖοι ἐκ παλαιοῦ ἔσχον. φρούριά τε δειμάμενοι ἐπιθαλασσίδια δύο, Σεβαστόπολίν τε καὶ Πιτυοῦντα, φρουρὰν ἐνταῦθα στρατιωτῶν τὸ ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο. τὰ μὲν γὰρ πρότερα κατάλογοι Ῥωμαίων, στρατιωτῶν ἐς τὰ ἐπὶ τῆς ἀκτῆς πάντα χώρια ἐκ τῶν Τραπεζοῦντος ὁρίων ἄχρι ἐς τοὺς Σαγίδας εἶχον.

Et idem de aedificiis IV. 7. ἀλλὰ νῦν Ἰουστινιανὸς βασιλεὺς ταύτην δὴ τὴν Σεβαστόπολιν, φρούριον οὖσαν τὸ πρότερον ἀνανεωσάμενος etc.

26.

Penes Zichos et Abasgos habitabant Alani supra Caucasum montem ad septemtrionem Cha-

zaros habentes. *y)* Quare Constantinus hac filii institutione in id maxime intentus, ut eum edoceat, quae gens ob habitationis vicinitatem bello alteram impetere, adeoque ab incursionibus Romanum imperium liberari possit, dicit: Alaniae dynastam posse Chazariae novem regiones utpote Alaniae adjacentes depraedari, magnumque inde damnum et penuriam Chazaris inferre, ex his enim novem regionibus omnia ad vitam necessaria et abundantiam Chazaris suppeditari. *z)*

Cum Alani supra Caucasum penes Zichos et Abasgos maris nigri accolas habitarent, plagas Chazarorum circa Tanaïm fluvium depraedari poterant; terrae enim tractus, quem Chazari Volgam versus tenebant, hodieque sterilissimus omnisque culturae incapax est, partim ob defectum pluviae, partim quod solum ad plures pedes salinis particulis ita impregnatum est, ut vix gramen, idque arundineum atque inutile procreare possit. Vide Dr. G. Hassel. Das russische Asien p. 447.

y) Constant. de adm. J. O. c. 42. ἄνωθεν δὲ τῆς Κασαχίας ὄρη τὰ Καυκάσια εἰσὶ, καὶ τῶν ὀρέων ἄνωθεν ἐστὶν ἡ χώρα τῆς Αλανίας.

z) Id. ibid. c. 10. ὅτι οἱ Οὖζοι δύνανται πολεμεῖν τοὺς Χαζάρους ὡς αὐτοῖς πλησιάζοντες· ὁμοίως καὶ ὁ ἐξουσιοκράτωρ Αλανίας. ὅτι τὰ ἐννέα κλίματα τῆς Χαζαρίας τῇ Αλανίᾳ παράκεινται, καὶ δύναται ὁ Αλανὸς, εἰ ἄρα καὶ βούλεται, ταῦτα πραιδεύειν, καὶ μεγάλην βλάβην καὶ ἔνδειαν τοῖς Χαζάροις ποιεῖν· ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα κλιμάτων τούτων ἡ πᾶσα ζωὴ καὶ ἀφθονία τῆς Χαζαρίας καθέστηκεν.

27.

Post Zichos, Abasgos et Alanos degunt *Hunni* cognomine *Zavari*, *aa)* (Hunn Zavar seu Hun-

gari) et quidem trans altissimum Caucasi cacumen, cujus humiliores vertices aeternis nivibus teguntur. *bb)* Post hunc montem aperiuntur campi planissimi, aquis ubertim irrigui, equis alendis agitandisque aptissimi. *cc)* Ex illo monte prorumpit Phasis fluvius, qui Colchidem seu Lazicam interfluens in mare nigrum se exonerat. *dd)*

aa) Procop. de bello Persico. II. 29. ἐνταῦθα ἔθνη ἄλλα τε πολλά, καὶ Ἀλανοί τε καὶ Ἀβασγοὶ ᾤκηνται Χριστιανοῖς τε καὶ Ῥωμαίοις φίλοι ἐκ παλαιοῦ ὄντες, Ζῆκχοί τε καὶ μετ' αὐτοὺς Οὖννοι, οἳ Σάβειροι ἐπικαλοῦνται.

bb) Idem de bello Gothico IV. 3. ταύτης δὲ τῆς χώρας καθύπερθεν ὄρος τὸ Καυκάσιόν ἐστι. τοῦτο δὲ τὸ ὄρος, ὁ Καύκασος, ἐς τοσόνδε ὕψους ἀνέχει, ὥστε δὴ αὐτοῦ τῶν μὲν ὑπερβολῶν οὔτε ὄμβρους οὔτε νιφετοὺς ἐπιψαύειν ποτέ. τῶν γὰρ νεφελῶν αὐτὰς ἁπασῶν καθυπερτέρας ξυμβαίνει εἶναι. τὰ δὲ μέσα μέχρι τῶν ἐσχάτων, χιόνων ἔμπλεα διηνεκῶς ἐστι. — Οὖννοι δὲ, οἱ καὶ Σάβειροι καλούμενοι, ἐνταῦθα ᾤκηνται, καὶ ἄλλ' ἄττα Οὐννικὰ ἔθνη.

cc) Idem de bello Pers. I. 10. τὸ δὲ ἐνθένδε πεδία τέ ἐστιν ἱππήλατα, καὶ ὑδάτων πολλῶν ἀτεχνῶς ἔμπλεα, καὶ χώρα πολλὴ ἱππόβοτός τε καὶ ἄλλως ὑπτία. οὗ δὴ τὰ Οὔννων ἔθνη σχεδόν τι ἅπαντα ἵδρυται ἄχρι ἐς τὴν Μαιῶτιν διήκοντα λίμνην.

dd) Idem ibid. I. 15. καὶ ὄρη ἀποκρέμαται λίαν ἀπότομα νεφέλαις τε καὶ χιόσι κεκαλυμμένα, τὸν πάντα αἰῶνα. ἔνθεν ἐξιὼν ποταμὸς Φάσις φέρεται εἰς γῆν τὴν Κολχίδα.

28.

Hoc testatur Procopius, vir fide dignissimus; confitetur enim ipse ditiones has jam a nonnullis antiquioribus quidem descriptas, sed non omnia ab iis satis accurate dicta fuisse; se nec fabulosa, nec nimium vetusta relaturum, longe enim historiam a fabula distare; sed nomina et res, quae in locis illis singulis vulgo jam usurpan-

tur, se accurate expositurum Procop. de bello Gotthico IV. I.

Et stat verbo Procopius; nam regiones illas Caucasias ita accurate depingit, ut cum hodiernis optimae notae geographis comparatus eos in nonnullis pleniore notitia superet. Quare Agathias, scriptor suppar, Procopium ab accurate narrandi solertia laudat, inquiens: Cum plurima, quae Justiniani temporibus evenerunt, a Procopio rhethore Caesariensi accuratissime perscripta sunt, mihi praetereunda sunt. Agathias pag. 7.

29.

Caucasi cacumen, e quo Phasim fluvium erumpere dicit Procopius, vocatur hodieque *Elburus*, estque 16, 700 pedes altum sub 60° long. et 43° lat. fastigatum. In boreali *Elburusi* latere oriuntur duo fluvii maximi, *Kuma* et *Kuban* nomine. *Kuma* serpit ortum versus et in mare Caspium paludum ope se exonerat; *Kuban* occasum versus properans cum mari nigro se unit. Utrique se adsociant frequentes fluvii; quapropter regio haec a Procopio aquis ubertim irrigua dicitur.

30.

Cum e geographia, quam Constant. Porphyr. de sedibus gentium Romano imperio formidabilium agens nobis propinat, demonstratum sit, Hungaros, dum *Zavar* cognomen gerebant, sedes priscas in plagis Chazariae meridionalibus, adeoque inter maria nigrum et Caspium habuisse; et cum Procopius 400 ante Constantinum annis florens *Hunn Zavaros* in iisdem plagis longo ab aevo habitare dicat, quis ausit inficiari, hanc avi-

tam Hungarorum patriam esse et Constantini fluvium *Chidmâs* nomine, hodiernum Kumam esse, a Tscherkessis ejus accolis nunc Gumysch appellatum.

Procopius enim dicit, *Zavaros*, populum Hunnicum, multo copiosissimum, in multos ducatus rite divisum commorari circa Caucasios montes. Jam *Kuma* (*Chidmâs* Constantini) in *Elburuso* cacumine Caucasi ortus per vallem promontorii e Caucaso ab austro boream versus protensi fluit. Sunt ibidem et plura alia boream versus e Caucaso procurrentia promontoria, ut mox videbimus, circa quae *Hunn Zavar* populum Procopius ait commorari. *ee*) Quare Constantinus Hungaros olim plagas, quas *Chidmâs* (Kuma) interfluit, inhabitasse affirmans, rei a se narratae notitiam accuratam habuisse manifestatur.

ee) Procop. de bello Gotthico IV. 11. *οἱ Σάβειροι, ἔθνος μέν ἐστι Οὐννικόν, ὤκηνται δὲ ἀμφὶ τὰ Καυκάσια ὄρη, πάμπολυ πλῆθος ἐσάγαν ὄντες, ἐς ἀρχὰς δὲ πολλὰς ἐπιεικῶς διῃρημένοι.*

31.

Veritatem hanc confirmant plenissime monumenta Hungarica, quae in his plagis hodieque deprehenduntur, et quae non solum priscas Hungarorum sedes aeternant: verum etiam veteris Magyarorum ingenii scrutatori dulcissimarum recordationum fertilissimarumque contemplationum materiem praebent.

Caucasii cacuminis *Elburus* 16, 700 pedes alti nomen, in quo Kuma (Chidmâs) fluvius oritur, Hungaricum est; et ideo Hungaris olim Elburus i. e. immersus ab *elburúlni* dictus; quod Procopio et hodiernis geographis testantibus nubibus et ni-

vibus aeternis est immersus. Procop. de bello Persico I. 15. Dr. G. Hassel. Das russische Asien. pag. 112.

32.

Chidmâs fluvii nomen est Hungaricum, videlicet: *Kimász.* Nec Constantinus erroris orthographici potest argui; ch enim Graecorum ante volem i habet sonum leniorem, respondetque fere nostro k. Secundam vocem mász, quam Hungarus enuntiando producit, Constantinus congruenter accentu circumflexo, utpote syllabae producendae signo, notavit. Quare Prayi reprehensio Diss. V. p. 101. Graecis familiare esse, exotica nomina depravare, in Constantinum minime cadit.

33.

Nomen *Kimász* (i. e. latine: foras serpit) hujus fluvii naturae apprime convenit. Is enim e Caucasi cacumine *Elburus* nomine sub 59° 40′ long. et 43° 10′ lat. prodiens per vallem e Caucasi promontoriis usque 44° lat. clausam boream versus, deinde per planitiem ortum septemtrionalem versus per plures lacus interruptus, hic illic infra arenam evanescens, et proprio effluvio carens paludum ope cum Caspio mari conjungitur. Quare ab Hungaris olim, ejus accolis recte dicebatur *Kimász*, i. e. foras serpit, et recte cognominabatur Chingylùs i. e. hungarice. *Kinn gyülö*, latine: foris aqua se colligens (terminatione graeca in s abjecta et víz subintellecto). Foris enim aquae ejus ad ostium in paludibus colliguntur.

Ceterum ex *Kimász* hodiernum *Kuma*, et apud Tscherkessos *Gumysch* nomen ortum esse nemo

inficiabitur, qui perpenderit, nomen *Danubius* mutatum fuisse in Donau, apud Austriacos: Die Tana; apud Hungaros Duna; apud Slavos Dunag

34.

Lacus hi, per quos *Kimász* seu *Kuma* interrumpitur, arenam ingrediendo aestate penitus evanescunt, et ideo unus eorum vocatur *Kudyk*, hungarice: *Kút-gyik* i. e. fontis lacerta; ejus enim aqua lacertae instar terram subgrediendo evanescit.

35.

Kimász seu *Kuma* sibi adsociat e sinistra amnes *Tanlyk* et *Byvalla* nomine. *Tanlyk* ortum ex *Tanya-lik* i. e. piscaturae foramen; *Byvalla* enatum e Bé-álló, subintellecto víz i. e. aqua intrans in lacum; amnis enim hic in lacum se exonerat, ad quem inter *Kumam* et *Byallam* hodieque rudera Madschar, fortassis Magyar urbis pervetustae deprehenduntur.

36.

A dextra sibi unit *Kimász Pod-Kumam* sub 60° 10′ long. et 43° 8′ lat. e *Baramut* monte prosilientem, et vallem *Beschtau* monti adsitam irrigantem. *Barom-út* est pute Hungaricum i. e. pecoris via; mons hic Caucasius inde sic dictus ab Hungaris, quod pecus e valle pastus causa illuc evagari ibique oberrare solebat. *Beschtau* hungarice: *Bös-táj.* i. e. prolixus tractus a forma sua sic nominatus; manus enim digitis expansis figuram referens prolixe divergit; ideo etiam a Germanis in Karas vico hoc in monte sito nunc

degentibus, Fünffingerberg seu mons quinque digitorum appellatur.

37.

Praeter *Kumam* (Kimász) in praecelso monte Caucasio nomine *Elburus* oritur *Kúban* sub 43° lat. et 59° 50′ long. Asiam ab Europa his in plagis disterminans, pluribusque ostiis in mare nigrum et Asovicum se exonerans. *Kuban* Byzantinis scriptoribus *Cophen* dicitur. Utrumque nomen est Hungaricum. *Kuban*, nunc scribitur Hungaris *Köben*, i. e. in lapide; antiqui enim Hungari crassiores vocales amabant, eorumque sermo ab hodierno ita videtur deflexisse, quemadmodum dialectus Dorica ab Attica devagatur. In decreto S. Stephani occurrit passim Kuw pro Kő. *Kophen* est Hungaricum *Kövön* i. e. supra lapidem. Fluvius hic ideo sic vocatus est ab Hungaris, quod aquam limpidam in alveo maximam partem lapidoso deferat. Vide Dr. G. Hassel. Das russische Asien, p. 471.

38.

Kubano a dextra praeter alios uniuntur: *Dschegota* (*tsiga ottan* i. e. turbo ibi) *Szulukis* (*Szúlok-Köz* i. e. inter caprifolium) ejus littora caprifolio abundaverint.

39.

A sinistra *Kubanum* ingrediuntur: 1) *Ketscheik* (Kő-tsö-ig i. e. usqe ad lapideam syringem) inde nomen acceperit, quod e saxo tanquam e syringe prorumpat.

2) *Teberde* (*Teb-erdön* i. e. fluitat per sylvam).

3) *Schaschedsere* (Sás egyszere, i. e. carex simpliciter) a copiosa carice.

4) *Kitschin Indschik (Kitsin-ing-tsik*, i. e. fluvius parvus, in quo se motitat petromyzon piscis. Die Lamprette.

5) *Ulu Indschik* (Alá-ing-tsik i. e. inferior Indschik) nam infra Kitschin Indschik Cubano unitur. Uterque sic dictus, quod petromyzonem piscem alat.

6. *Orp (Orba* i. e. in naso) oritur enim in Caucasio monte nasi equini figuram referente sub 58° 50′ long. et 43° 40′ lat.

In dextrum *Orpii* latus ingreditur: *Inal* (*Inynál* i. e. penes maxillam) oritur enim in Caucasio monte maxillae figuram referente. Sinistro *Orpii* lateri uniuntur: *Kitschin Tegena (Kitsin tekenö* i. e. postremus seu secundarius alveus), et *Utu tegena (Utúl tekenö* i. e. postremus seu secundarius alveus).

7) *Laba (Lábba* i. e. in pede) oritur enim in Caucasio monte pedis figuram referente, sub 58° 30′ long. 44° lat.

In ejus dextrum latus ingreditur: Kitschin Laba (Kitsin Lábba, i. e. parvus Lábba).

8) *Kara Kuban (Karáj Köben*, i. e. margo ad Kubanum) ideo margo dictus, quod limitem territorii Hungarici occasum versus constituebat.

40.

Kalaus (Kalaúz i. e. viae dux) oritur enim in deserto, et ab austro boream versus fluens Manitsch fluvio se unit; in deserto ducis vices subibat.

Manitsch (Már nints, i. e. amplius nihil est) ideo sit dictus, quod in deserto maximam partem arenoso et paludibus salsis referto, consequenter terrae frugum sterilissimo fluat. Ceterum Manitsch in Tanaïm se exonerat.

Animadversio IV.

Jam videamus, ubi *Kumam* (*Kimász* fluvium) qui juxta Constant. Porphyr. priscam Hungarorum patriam interfluebat, ii ponant, qui sedes antiquas Hungarorum indagabant. Pray Diss. V. p. 90 opinatur Constantini *Kimász* cognomine *Kinngyülö* esse hodiernum amnem *Ingulum*, qui in *Bogum* se exonerat, et Hungaros hac ratione contra omnes suas reliquas de priscis Hungarorum sedibus assertiones in hodiernam Podoliam rejicit. Prayum exscribendo idem asserit Dr. J. A. Fessler. Die Geschichten der Ungern Tom. I. p. 236.

Ast hodiernum Ingul in Bogum influentem Constantinus disserte commemorat, eumque a suo Kimász distinguit, scribens: *ff*) Duo maximi ex iis fluviis sunt *Danastris* et *Danapris*. Sunt ibi et alii fluvii, *Syngül* nempe et *Bogü*.

Constantini *Syngül* hodierno *Ingul* congruere (Ingul enim Bogo unitus in mare nigrum se exonerat, prout et Danastris et Danapris, a Constantino simul commemorati) et *Kimász* fluvium diversum ab *Ingulo*, Kumam nempe esse, quis adhuc dubitare posset. Vide §. 18.

ff) Constant. de adm. J. O. c. 42. *δύο δὲ μέγιστοι ἐξ αὐτῶν (ποταμῶν) ὅ τε Δάναστρις καὶ ὁ Δάναπρις. εἰσὶ δὲ ἕτεροι ποταμοὶ, ὅ τε λεγόμενος Συγγοὺλ καὶ ὁ Βογοῦ.*

41.

Omnibus his in subsidium vocatis priscam Hungarorum patriam limitibus circumscribere, amplitudinem territorii defigere et inde incolarum numerum cum probabilitate eruere possumus.

Ad occasum limitem constituebat *Kara Kuban* fluvius (Hungarice *Karáj Köbên*) qui e Caucasio monte veniens sub 57° 30′ long. in *Cubanum (Köben)* influit. Hac in parte contermini erant Hungaris *Zichi* et *Abasgi*, ad mare nigrum

usque pertinentes. *Zichi*, apud Strabonem *Zygi*, hodieque ipsi sese compellant *Adigé*; ab aliis vero vocantur *Tscherkessi*; quod nomen iis ab Hungaris vicinis olim inditum nunc quoque usurpatur. Tscherkesz enim est vox Hungarica (Tserkesz) et denotat crepitatorem. Facile quippe fieri potuit, ut Hungari hoc nomine Zichos sibi vicinos ludibrio haberent. Tscherkessi hodieque eas plagas tenent, in quibus olim Zichos habitasse Byzantini scriptores, imo et Strabo geographus Octaviano Augusto imperanti coaevus lib. XI. 2. testatur; ita quoque *Abassi* eandem regionem inhabitant, in qua olim *Abasgi* degebant. Ast Tscherkessi et Abassi sedes suas dilatarunt, hodie enim ex parte etiam eas terras tenent, quae olim ditionis Hungaricae erant. Et quidem Abassi in utroque Cubani superioris littore per copiosos e Caucaso prorumpentes amnes irrigato variis gentibus mixti morantur, Tscherkessi vero a superioris Kumae littoribus Terekium fluvium versus extenduntur.

Ad ortum antiquae Hungarorum patriae limes fuit *Terek* fluvius et mare Caspium. Nestor enim scriptor Russicus Hungaros olim prope *Terek* fluvium commoratos fuisse testatur.

Ad boream Hungaros olim disterminabat Manitsch fluvius a Chazaris, Volga ab Utzis et Patzinacitis (antequam nempe Patzinacitae in terras Tanaïm et Danubium sitas abivissent.)

Ad austrum limes erat Caucasus mons, et Terek fluvius, in cujus vicinia patebat via angusta, *Portae Caspiae* dicta, qua per Caucasum Hungari in Romanas et Persicas ditiones excurrere

solebant, ipsi ab exterorum invasionibus munimento hoc tutissimi.

42.

Tractus igitur terrarum intra 57° 30′ usque 65° long. et 43° — 46° lat. territorium Hungaricum circiter efficiebat sive 4725 milliaria quadrata (hodiernum regnum Hungariae, cum Slavonia, Croatia, Transylvania, Confiniis militaribus complectitur 5846 milliaria □). Hodie in illis regionibus 368 incolae maximo, et 72 capita minimo calculo ad unum milliare quadratum numerantur. Et cum Agathias populum Hunn Zavar esse numerosissimum testetur; 300 capita duntaxat ad unum milliare quadratum assumendo prodit numerus 1,417,500 incolarum.

Clima geographicum antiquae Hungarorum patriae non multum differt a temperie geographica hodiernae dulcis caraeque patriae, nam inclytum regnum Hungariae a 45° — 49° latitudinis circiter protenditur.

Intuitu vero longitudinis geographicae sedes Hungarorum priscae ab hodierna eorum patria 450 fere milliaribus germanicis distant.

Tantae molis erat Hunnorum condere regnum!

43.

Clima physicum priscae Hungarorum patriae est mite et placidum, calor aestivus in hac immensa planitie per ventos a Caucaso monte et mari Caspio spirantes mitigatur Vide Dr. G. Hassel. Das russische Asien p 469 sqq.

Ita quoque Procopius de bello Gotthico IV. 3. has plagas describit: Post Caucasum montem, ait ille accuratissimus scriptor saeculi VI, aperiuntur campi planissimi, aquis ubertim irrigui, equis alendis agitandisque aptissimi.

Hinc illae Hungarorum in campis vastis et equis agitandis deliciae ad extremos nepotes propagatae.

44.

In easdem plagas ponit Hungarorum sedes priscas anonymus Belae Regis notarius c. I. Scythia, inquit, ergo maxima terra est, quae Dentumoger dicitur *versus orientem,* finis ejus ab *aquilonali parte* extenditur usque ad nigrum pontum, *a tergo* autem habet flumen, quod dicitur Thanais cum paludibus magnis. Scythica autem terra *multum patula in longitudine et latitudine.*

Hactenus Anonymus. Expendamus paullulum ejus narrationem. Finis Scythiae, inquit, ab aquilonali parte extenditur usque ad nigrum pontum (Scythia igitur juxta Anonymum boream versus per mare nigrum terminabatur.). A tergo, continuat Anonymus, habet flumen, quod dicitur Thanais cum paludibus magnis (id est, post Scythiam boream versus est Tanaïs fluvius, qui in Maeotim paludem seu mare Asovicum se exonerat) Scythica autem terra, prosequitur Anonymus, *multum patula in longitudine et latitudine.*

45.

Ad verbum fere convenit Procopius scriptor saeculi medii VI cum Anonymo, quem saeculo

XI aut certe XII floruisse evincit Steph. Katona in historiae Crit. Ducum prolegomenis p. 9. Ait namque Procopius: *gg)* Ultra Caucasum montem esse campos equis agitandis idoneos etc. ibi habere sedes Hunnorum populos fere omnes usque ad *Maeotim Paludem* et Tanaim fluvium. Itaque etiam Procopius Hunnorum ditiones terminat Tanai fluvio in mare Asovicum se exonerante,

gg) Procop. de bello Gotthico IV. 4. *ὑπὲρ δέ Σαγίδας* (scimus ex praecedentibus Sagidas post Zichos boream versus in ora maris nigri habitasse) *Οὐννικὰ ἔθνη πολλὰ ἵδρυται· βάρβαροι δὲ αὐτῆς ἄνθρωποι τάτε παράλια καὶ τὴν μεσόγειον ἔχουσι, μέχρι ἐς τὴν Μαιῶτιν καλουμένην λέμνην, καὶ ποταμὸν Τάναϊν, ὅς δὲ ἐς λέμνην ἐσβάλλει.*

46.

Dentumogeria (Döntő Magyaria) sita est juxta anonymum Belae regis notarium *versus Orientem* Scythiae; idem testantur Constantinus Hungarorum sedes ad *Kumam* fluvium, et Procopius, ultra *Elburusum* Caucasi cacumen, hinc itidem ad *Kumam,* eoque ipso in orientali isthmi maria Caspium inter et nigrum extensi plaga constituentes.

Nota. Hanc priscam Hungarorum patriam Constant. Porphyr. appellat *Levediam;* Anonymus vero *Dentumogeriam* (*Döntő Magyariam*). Utriusque denominatio rationem habet, Constantini a primario duce, Anonymi a praedominante stirpe desumta. Sic Chazaria, a Chazaris, Zichia a Zichis, Abasgia ab Abasgis vocabatur; ita quoque solenne erat, imo nunc quoque in illis regionibus est territorium ducis nomine insignire.

Animadversio V.

Cl. Keresztúri in Diss. de sedibus Hungarorum Asiaticis p. 4. e verbis Anonymi superius a nobis excitatis

infert, Dentumogeriam ultra Volgam in hodierna Basciria sitam fuisse credi posse.

Ast Volga non fluit ab aquilone maris nigri.

Quam assertionem probare conatur Cl. vir ex itinerario ante medium saec. XIII. conscripto, in quo Julianus ex ordine Praedicatorum ad quaerendas sedes Hungarorum missus, eos ad Volgam deprehendisse perhibetur.

Ast esto deprehenderit, sequiturne inde legitima conclusione, ad Volgam antiquas Hungarorum sedes esse; tali enim, ratione concludi quoque posset, hodiernam Hungariam avitam Magyarorum patriam esse, et si qui Hungarorum in Persia hodie deprehenduntur, nam pars eorum Constantino teste in Persidem demigravit, an ideo Persia antiqua Hungarorum patria dici potest? —

Quin potius id sequitur ex illius itinerarii narratione, Hungaros, qui Julianum cum sociis ad quaerendas majorum sedes miserant, optime proavorum suorum patriam novisse.

Nam Julianus in easdem plagas profectus est, in quibus olim Hungaros habitasse demonstravimus; videlicet, Constantinopoli per mare nigrum venit Julianus, in Zichiam, quam in orientali maris nigri ora sitam esse superius vidimus. Inde progressus per desertum, scilicet illud, quod ad *Cubanum* fluvium expanditur, tredecim diebus ibat, venitque in Alaniam. Per desertum quippe a 55° — 59° long. extensum consequenter 60 milliaria in longitudine comprehendens, hinc quotidie ultra 4 milliaria viae confecit. Alaniam vero antiquae Hungarorum patriae vicinam et supra Caucasum sitam fuisse superius e Constantino et Procopio didicimus. Ex Alania, continuat itinerarium illud narrare, ibat Julianus 37 diebus per desertum, quo superato in terram Saracenorum venit, quae vocatur Veda in civitatem Bundam. Ibat nempe per desertum, quod a *Kuma* fluvio *Kumanum* hodie vocatur et a 59° — 65° long. seu ad 90 milliaria extenditur, itaque quotidie circiter 3 milliaria confecit. Civitas *Bunda* est hodie pagus nomine *Kabuda* ad *Atalam* fluviam sita, olim *Kabuda* fuit sedes Khani Avarorum. Ad *Atalam* fluvium Hungaros derelicto *Kuma*

fluvio demigrasse inferius videbimus. Sciebant ergo adhuc Juliani aetate Hungari, majores suos ad *Atalam* fluvium habitasse. Inde ivit Julianus ad Volgam, ibique Hungaros se deprehendisse narrat. Sed nullam civitatum, quas adiverat, nobis nominat. Potuerunt reliquiae Hungarorum ad inferiorem Volgam utpote a *Kuma* non multum distantem superesse.

Animadversio VI.

Reprobata jure merito Cel. G. Prayi, Hungaros a Turcis olim in Turfan degentibus, Gustermanni, Engeli, eosdem a Finnis et Lapponibus et inter maria glaciale, Balthicum et Caspium, aut in aspero Septemtrione, aut in Juguria olim habitantibus deducentium nullis fide dignis testimoniis stabilita opinione Cl. Keresztúri Hungarorum majores suspicatur esse Hunnos Uturguros ea levissima de causa, quod Uturguri regem nomine Moager habuerunt; Uturguros absque omni testimonio a Maeoti palude ultra Volgam profugisse ponit, ut ex iis Hungarorum patres procreare possit.

Ast Agathiae, qui Procopii historiam continuavit, et circa medium saec VI floruit, testimonio, Hunni Uturguri bellis continuis cum Hunnis Cuturguris, instigante aula Constantinopolitana, gestis, ita sese attriverant, ut utriusque gentis nomen jam saeculo VI interierit, et si qui eorum hisce e cladibus evaserant, coacti fuerint, sparsim aliis populis servire eorumque nomen adoptare. *hh*)

Uturguri igitur non potuere Hungarorum satores evadere, nomine jam saeculo VI amisso et gente in servitutem dispersa.

hh) Agathias schol. IV. p. 118 — 119. *οὕτω τε ἐξ ἐκείνου ἐπιπλεῖστον ἑκάτεροι* (Uturguri nempe, et Cuturguri) *διετέλουν κατ᾽ ἀλλήλων τρεπόμενοι, καὶ τὴν δυσμένειαν ἐμπεδοῦντες. νῦν μὲν γὰρ ἐφόδους καὶ λεηλασίας ἐποιεῖντο, νῦν δὲ ἐς ἐμφανῆ μάχην παρετάττοντο, ἕως ἑκατέρωθεν αἱ δυνάμεις διαῤῥυεῖσαι ἀνάστατοι ἄρδην γεγένηνται, ὡς καὶ αὐτὴν δή που τὴν πάτριον ἐπωνυμίαν ἀποβεβληκέναι. ἐς τοῦτο γὰρ συμφορᾶς τάδε τὰ Οὐννικὰ ἔθνη ἐξώκειλεν, ὡς εἴπερ ἄρα τι αὐτῶν καὶ μεμένηκε μέρος,*

σποράδην ἑτέροις δουλεύειν, καὶ ἐς τὸ ἐκείνων ὄνομα μεταβεβλῆσθαι.

47.

Avitis ad Kumam (Kimász) fluvium sedibus derelictis Hungarorum pars in plagas Persiae occidentales concessit, quae ab interfluentibus *Atel* et *Kuzu* fluviis cognomen *Atelkuzu* habent. Pars altera in Persiae orientales ditiones se contulerat, retento adhuc Constant. Porphyr. aetate *Zavar* cognomine. Haec discimus e Constant. *ii*)

ii) Const. de A. J. O. c. 38. καὶ τὸ μὲν ἓν μέρος (τῶν Τούρκων) πρὸς ἀνατολὴν εἰς τὸ τῆς Περσίδος μέρος κατῴκησεν, οἳ καὶ μέχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν τῶν Τούρκων ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν καλοῦνται Σαβαρ ἤτοι σφάλλει. τὸ δὲ ἕτερον μέρος εἰς τὸ δυτικὸν κατῴκησε μέρος εἰς τόπους τοὺς ἐπονομαζομένους Ατελκούζου. c. 40. ὁ δὲ τόπος, ἐν ᾧ πρότερον οἱ Τοῦρκοι ὑπῆρχον, ὀνομάζεται κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ ἐκεῖσε διερχομένου ποταμοῦ Ετὲλ (seu, Ἀτὲλ) καὶ Κουζοῦ.

Animadversio VII.

Quanta tentarunt viri eruditi in detegendis duobus his fluviis, quanta commenti sunt et quo aberravere a veritate Cl. Pray. Ann. Vet. p. 307 autumat fluvium *Atel* alium ab *Aluta* esse non posse, et repente Persiae partem occidentalem, ubi Hungari tunc erant, in hodiernam Valachiam retrudit, manca graeci textus versione latina seductus; fluvii vero *Kuzu* nullam mentionem facit, Diss. V. p. 98 suam hac in re ignorantiam his verbis palam confitetur: „Quid nominibus *Atel* et *Kuzu* veniat, nemo hactenus satis explicatum reddidit, nec ego id mihi sumo. Steph. Katona hist. rit. P. I. p. 125 in *Tatro* et *Uzo* fluviis *Atel* et *Kuzu* latere conjectans Persiae occidentalem partem in Moldaviam relegat. Cl. Kereszturi in diss. de origine et sedibus Hungarorum de his fluviis alte silet. Denique Dr. Fefsler. Die Geschichten der Ungern tom. I. p. 247 fingit ab Hungaris *Danubium* nomine *Atel* aliquamdiu compellatum et pla-

gam *Bogum* inter et *Szerethum* fluvios ab iis Atelköz, utpote quae ad Danubium inter duos fluvios sita esset, cognominatam fuisse.

Ast nec *Valachia*, nec *Moldavia*, nec plagae inter *Bogum* et Szerethum unquam partem Persiae occidentalem constituebant, *Atel* vero et *Kuzu* fluvii Constantino teste in occidentali Persiae parte erant, ergo illic quaerendi.

Si a *Kuma* (Kimász) fluvio, qui antiquam Hungarorum patriam interfluebat, juxta littus Terekii dextrum Caucasios montes ad dextram tuam habens Caspium mare versus proficiscaris, venies in regionem, ab *Atala* et *Koisu* fluviis irrigatam. Hodiernos *Atala* et *Koisu* fluvios Constantini *Atel* et *Kuzu* esse, quis negabit? — Plaga enim inter mare Caspium et Caucasum montem meridiem versus protensa, a populis Persico Imperio subjectis inhabitabatur Procopio teste kk) et ratione Persiae erat occidentalis.

Itaque Hungari *Kuma* fluvio derelicto vicinam regionem ab occasu et meridie Caucasiis promontoriis, ab ortu Caspio mari conclusam petierunt. Quae dum tam numerosum populum capere non posset, pars Hungarorum in orientales Persiae ditiones demigravit, cognomenque *Zavar* Constantini Porphyr. aetate adhuc gerebat.

Ceterum *Atala* et *Koisu* (*Atel* et *Kuzu* Constantini) ad Kumae et Terekii austrum in mare Caspium se exonerant, et quidem *Koisu* oritur in Caucasio monte nivali *Turpitau* nomine sub 42° 30′ lat. et 64° 30′ long. et borealem ortum versus properans, ad Temir in duos ramos divisus triplici ostio in mare Caspium ingreditur. *Atala* ibidem oritur et valles plures irrigando se cum *Koisu* conjungit. Vide Dr. Hassel. Das russische Asien, p. 730 et 735.

kk) Procop. de bello Pers. I. 12. Ιβηρες, οἵ ἐν τῇ Ασίᾳ οἰκοῦσι, πρὸς αὐταῖς που ταῖς Κασπίαις ἵδρυνται πύλαις, αἵπερ αὐτοῖς εἰσι πρὸς βορρὰν ἄνεμον. καὶ αὐτῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἐχομένη πρὸς τὰς τοῦ ἡλίου δυσμὰς Λαζική ἐστιν· ἐν δεξιᾷ δὲ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον τὰ Περσῶν ἔθνη.

Nota. Ατὲλ fluvius distinguitur apud Constant. ab Ατὴλ seu Volga.

48.

His omnibus in pugnum coactis sequentes animo nostro veritates historicae obversentur necesse est:

I. Hungaros originem trahere ab Hunnis, et quidem ab eo populo Hunnico, qui ob fortitudinem *Zavar* cognomine gloriabatur.

II. Hungaros hodiernos esse nepotes illarum septem stirpium e populo Hunn Zavar, quae Cabaris sibi sociatis in Pannoniam subinde demigrarunt.

III. Nomen Hungar a populo Hunn Zavar, nomen Magyar a stirpe Mej-erö hodiernis Pannoniae incolis adhaesisse.

IV. Sedes Hungarorum priscas circa Caucasios montes ad *Kumam*, *Kubanum*, *Terekium* et *Manitschium* fluvios inter mare nigrum et Caspium, subinde ad *Koisum* et *Atalam*. fluvios in ora maris Caspii occidentali fuisse.

V. Populum Hungarum saeculi VI scriptoribus Byzantinis esse notissimum.

His antiquiora et recentiora Deo adjuvante vulgaturi sumus tempore opportuno.

Elenchus nominum Hungaricorum in opusculo hoc explicatorum.

Zavar avitum Hungarorum cognomen.

Nomina septem stirpium Hungaricorum.

Neki; Mej-erö; Kürtöl jármat; Tárgyan; Jó nyak; Kari; Kézi.

Nomina Hungarica montium in prisca Hungarorum patria.

Elburus; Barom-út; Bös-táj.

Nomina Hungarica fluviorum in antiqua Hungarorum patria.

Kimász etiam Kinn - gyülö dictus; Tanya - lik; Bé - alló; Köben; Tsiga - ottan; Szúlok - köz; Kö - tsö-ig; Teb - erdön; Sás - egyszere; Kitsin - ing - tsik; Alá-ing - tsik; Orba; Inynál; Kitsin tekenö; Utúl tekenö; Lábba; Kitsin Lábba; Karaj köben; Kalaúz; Már nints.

Versio textus graeci litteris distincti.

a) Non dicebantur tunc temporis *Turci* (Hungari nempe Constantini aetate Turcorum nomine veniunt) sed *Zavar*, id est, *turbat*, *subvertit*, *concutit*.

b) Non dicebantur tunc temporis *Turci*, sed *Zavar*, id est, *subvertit*, e quadam causa cognominabantur.

c) Hunni, qui *Zavari* vocantur, pugnacissimus populus.

d) Antiquitus Turci *Zavar*, id est, *subvertit*, cognominabantur.

e) Una pars Turcorum ortum versus in Persidis ditionem habitatum concessit, qui ad hodiernum diem juxta Turcorum antiquum cognomen vocantur *Zavar*, id est, *subvertit*.

f) Hunni, qui *Zavari* vocantur, iis auxilio erant, ter mille, gens pugnacissima.

Zavari, gens Hunnica est, et habitant circa Caucasios montes, multitudine admodum copiosi, in ducatus multos rite divisi, quorum principes alii, Romanorum Imperatori, alii Persarum regi inde ab antiquo aevo sunt noti et familiares.

g) Aderant Persis quoque *Hunni Zavari* pro stipendio auxilia laturi. Haec enim gens et maxima et hominibus copiosa est, bellorum amans quam maxime, et prompta, jam Romanis, jam Persis proelia conserentibus venire auxilio solita.

h) Ubi (ultra Caucasum) Hunnorum gentes paene omnes sedent usque ad Maeotim paludem pertinentes.

i) Hunni genere, antiquitus inhabitabant loca, quae sunt ad ortum Maeotis paludis, et erant magis boreales quam Tanais fluvius; quemadmodum et reliquae barbarae gentes, quaecunque intra Imaeum montem per Asiam sedes tenebant. Hi omnes communi nomine Scythae et Hunni dicebantur, proprie vero juxta genera, alii eorum Cotrigori, alii Utigori, alii Ultizuri, alii Burugundi, alii denique prout iis patrium et usitatum nomen fuerit.

k) Prima stirps est Cabororum, quae a Chazaris est avulsa, ut supra diximus, secunda est *Neki*; tertia *Megeré*, lege: *Mejeré*; quarta *Kurtygermat*; quinta *Tarian*; sexta *Genach*, lege: *Jenach*; septima Kari; octava Kasi.

l) Turcorum gens prope Chazariam antiquitus habitabat.

m) Ab inferioribus Danubii fluvii plagis ex opposito Distrae Patzinacia procedit, et incolitnr ab iis (Patzinacitis) usque ad Sarkel Chazarorum castrum, in quo praesidiarii excubant stato tempore permutari soliti. Sarkel vero apud eos album hospitium significat, quod a Spatharicandidato Petrona exstructum est, postquam Chazari Theophilum Imperatorem, ut iis hoc castrum aedificaretur, precibus convenerant. A Danubio vero flumine ad supra nominatum castrum Sarkel iter est sex dierum, in cujus regionis medio fluvii multi sunt, inter quos duo maximi, Danastris nempe et Danapris, sunt ibi et alii fluvii, videlicet Syngul et Bogu.

n) Ad Bulgariae ditionem quoque sedet populus Patzinacitarum.

o) Et alter populus Patzinacitarum Chersonis ditioni vicinus est, qui etiam cum Chersonitis mercatum exercent.

p) Lintres, quae e Russia exteriori Constantinopoli adpelluntur, sunt e Nemogarda (Novogorod) sunt etiam e castro Milinisco et Tzernigoga (Mohilew et Tschernigow.) Omnes hae naves per Danaprim fluvium descendunt, et congregantur ad castrum Kioviam, et usque dum Selinam fluvium pertransiverint, Paczinacitae eas e latere infestant. Superato Selina fluvio neminem timent, sed Bulgariae ditionem ingressi, in Danubii ostium veniunt.

q) Sciendum Patzinacitas ab initio ad Atil (Volgam) et Jeich (Jaik) fluvios sedes suas habuisse, Chazaros sibi conterminos habentes et Uzos. Ante annos vero quinquaginta Uzi cum Chazaris societate inita, et pugna adversus Patzinacitas conserta, eos superarunt, propriaque iis ditione expulerunt, quam ad hodiernum usque diem Uzi retinuerunt.

Patzinacitae vero arreptâ fugâ circumibant quaerentes locum, in quo considerent. Et postquam terram, quam hodie tenent, deprehenderunt, in eaque Turcos habitantes invenerunt, hos ad modum belli victos et ejectos persecuti sunt, ipsi vero in ea regione tentoria sua defixerunt, ejusque ad hodiernum usque diem quinquaginta quinque annis, ut supra dictum est, domini sunt.

r) Uzi possunt bello impetere Chazaros, utpote iisdem contermini.

s) Ad borealem Maeotis paludis plagam Danapris fluvius est, a quo etiam Russi transeunt ad nigram Bulgariam, Chazariam et Syriam.

Patzinacia a Mordia decem dierum itinere est dissita.

t) Turcorum gens prope Chazariam antiquitus habitabat in loco *Levedia* cognominato. In quo supra no-

minato loco *Levedia* fluvius est fluens *Chidmâs*, qui et *Chingylus* cognominatur.

u) E regione Bospori (urbis in orientali ora Crimeae, hodie Kersch dictae) est castrum, quod vocatur Tamatarcha (hodie Tmutarakan) 18 aut 20 milliaribus a Tamatarcha est fluvius Ukruch nomine, qui Zichiam et Tamatarcham disterminat. Ab Ukruch fluvio usque ad Nicopsim fluvium est ditio Zichiae, et distantia haec efficit 300 milliaria. Plaga ad mare sita inde ab extremis Zichiae finibus, id est, a Nipsi fluvio usque ad Castrum Soteriopolis constituit ditionem Abasgiae, quae distantia 300 milliaria comprehendit.

v) Post Apsiliorum limites (Apsilii juxta Procopium ad septemtrionem Lazorum seu Colchorum, quorum ditionem Phasis flavius interfluit, habitabant) in aditu ad Abasgiam est locus hujusmodi: Mons sublimis e Caucasiis prodiens, et paulatim decrescens et desinens scalae instar protenditur et terminatur in Ponto Euxino (mari nigro.) In ima hujus montis plaga arcem munitissimam et amplitudine eximiam Abasgi olim sibi exstruxerant, nam unicus duntaxat aditus ad hanc arcem et reliquam Abasgorum ditionem patet, nec binis simul euntibus viris pervius est.

x) Post Abasgorum limites in plaga Ponto Euxino adsita Zichi sedent. Olim Romanorum imperator Zichis regem consituebat, ast nunc nullatenus obediunt Romanis hi barbari. Post hos Sagidae quidem habitant, at plagam juxta mare sitam Romani ab antiquo inde aevo tenuerunt. Et conditis ad mare duabus arcibus Sebastopoli et Pityunte praesidium militare ibidem ab initio disposuerunt. Olim enim inde a Trapezuntis finibus usque ad Sagidas omnia in maris ora sita loca legiones Romanae in praesidiis tenebant.

Nunc Justinianus Sebastopolim, quae antea arx minita erat, restauravit.

y) Supra Casachiam sunt montes Caucasii, et supra hos montes est Alaniae ditio.

z) Uzi possunt bello infestare Chazaros utpote iis con-

termini; simili quoque modo Alaniae princeps, nam novem Chazariae regiones Alaniae adjacent, et potest Alanus, si nempe vult, eas depraedari, magnumque damnum et penuriam Chazaris inferre, ex his enim novem regionibus omnis victus et abundatia Chazaris suppeditatur.

aa) Ibi gentes aliaeque multae, et Alani atque Abasgi Christianis Romanisque inde ab aevo antiquo amici habitant, et Zichi et post eos Hunni, qui Zavari cognominantur.

bb) Supra hanc regionem mons Caucasius est. Mons autem hic Caucasus in tantam altitudinem exsuperat, ut ejus extremos vertices nec imbres nec nives unquam contingant, omnibus enim nubibus superiores sunt. Mediae vero ad ultimas usque plagae nivibus perpetuis contectae sunt. Hic habitant Hunni, qui et Zavari vocantur, et nonnullae aliae Hunnicae gentes.

cc) illinc campi sunt equis agitandis idonei, aquis admodum multis repleti, et regio ampla, equis pascendis apta et plana. ubi Hunnorum populi fere omnes sedent usque ad Maeotim paludem pertinentes.

dd) et montes dependent admodum praerupti, nubibus nivibusque tecti omni tempore. inde exiens Phasis fluvius in terram Colchidem fertur.

ee) Zavari gens sunt Hunnica, et habitant circa Caucasios montes, suntque multo copiosissimi, et in multos ducatus rite divisi.

ff) Duo maximi ex his fluviis sunt Danastris et Danapris. Sunt ibi et alii fluvii, videlicet Syngul (Ingul) et Bogu.

gg) supra Sagidas (scimus ex praecedentibus Sagidas post Zichos boream versus in ora maris nigri habitasse) Hunnicae gentes multae sedes suas habent. Barbari autem homines plagas ad mare (nigrum) sitas et regionem mediterraneam tenent usque ad Maeotim paludem et Tanaim fluvium, qui in paludem se exonerat.

hh) Sicque ab illo tempore maximam partem utrique (Uturguri nempe et Cuturguri) perseverabant in mu-

tuis bellis, et in firmanda inimicitia: jam enim sese invadendo, et praedis agendis dediti erant, jam apertis proeliis sese impetebant, donec utrinque eorum vires, labefactae penitus dissipatae sunt, ut ipsum nomen patrium perdiderint. Eo enim calamitatis Hunnici hi populi delapsi sunt, ut, si qua eorum pars superstes mansit, ea inter alios populos dispersa servire, et dominorum suorum nomen adoptare coacta fuerit.

ii) Una pars Turcorum (Hungarorum) orientem versus in Persiae plagam habitatum concessit, qui ad hunc usque diem juxta antiquum Turcorum cognomen vocantur Zavar, id est, subvertit; altera pars in occidentalem (Persiae) regionem se contulit, in loca, quae Atelkuzu cognominantur. Locus, in quo prius Turci erant, vocatur juxta cognomen ibidem transeuntis fluvii Atel et Kuzu.

kk) Iberes, qui in Asia habitant, ad ipsas fere ſportas Caspias sedes suas habent, quae iis ad septemtrionem sunt. Ad sinistram iis vicina est occasum versus Lazica; ad dextram ortum versus conterminos ibi habent Persarum populos.